

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo LV "Item de eodem libro sermones [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

ITEM DE EODEMLIBRO SERMO
NES. S̄CI AV̄G EPI + VSQVE AD FINĒ

+ACENNONI+

SERMONIS.

PASCHA FRS NON SICUT QUIDAM EXI STIMANT,
grecum nomen est sed hebreum. oportunitissime tamen occur-
rit in hoc nomine quaedam congruentia utrarumq. linguarum,
quia enim passio grece pascha dicitur. ideo pascha passio putata est.
uelut hoc nomen a passione sic appellatum est. In sua ergo lingua hoc est
in hebraea. pascha transitus dicitur; propterea tunc primum pascha cele-
brauit populus di. quando ex aegypto fugientes rubrum mare transierunt.
Nunc ergo figura illa prophetica in ueritate completa est. cum sicut ouis
ad immolandum ducitur xpi. cuius sanguine alicis postibus nostris. id est
cuius signo crucis signatis frontibus nostris. a perditione huius saeculi tam-
quam a captiuitate uel interemptione aegypti liberamur. & agimus salu-
berrimum transitum. cum a diabolo transimus ad xpm. & ab isto instabili
saeculo ad eius fundatissimum regnum. Ideo quippe ad dm permanente
transimus. ne cum mundo transeunte transeamus. De hac nobis conlata
gratia dm laudans apostolus dicit. qui eruit nos de potestate tenebrarum.
& transtulit in regnum ^{filii} caritatis suae; hoc itaq. nomen id est pascha quod
latine ut dixi transitus nuncupatur. uelut interpretans nobis beatus euan-
gelista. Antedem inquit festum paschae sciens ihs. quia uenit eius hora.
ut transeat ex hoc mundo ad patrem. Ecce pascha. ecce transitus. unde
& quo. de hoc scilicet mundo ad patrem. spes membris incapite est data.
quod essent illo transeunte sine dubio secutura. Quid ergo infideles
& ab hoc capite atq. ab eius corpore alieni. Nonne & ipsi transeunt. quia non
permanent. transeunt plane & ipsi. sed aliud est transire de mundo. aliud
transire cum mundo. aliud ad patrem. aliud ad hostem. Nam & aegypti
transierunt. Non enim persequendo manserunt; Non tamen transierunt
per mare ad regnum. sed in mari ad interitum. Sciens ergo ihs quia uenit
eius hora. ut transiret ex hoc mundo ad patrem. Cum dilexisset suos qui e-
rant in mundo. in finem dilexit eos. utiq. & ipsi de hoc mundo ubi erant. ad
suum caput quod hinc transisset. eius dilectione transirent; quid est eni
in finem nisi in xpm; finis enim legis xpi. ut apostolus. ad iustitiam omni
credenti; finis perficiens. non interficiens. finis quo usq. eamus. non ubi
pereamus. sic omnino intelligendum est. pascha nostrum immolatus.

est xps; ipse est finis noster. in illo est transitus noster; nam uideo posse ista uerba euangelica quodam humano modo & iam sic accipi. tamquam usque ad mortem xps dilexerit suos. ut hoc uideatur esse in finem dilexit eos; humana est haec sententia. non diuina; neque enim nos huc usque, ille dilexit. qui semper & sine fine nos diligit; absit ut dilectionem morte finiri. qui non est morte finitus; & iam post mortem quinq. fratres suos dilexit diues ille superbus atque impius. & usque ad mortem nos dilexisse putandus est xps. Absit carissimi. nequaquam ille nos diligendo usque ad mortem ueniret. si dilectionem nostram morte finiret; nisi forte ita sit intelligendum. in finem dilexit eos. usque ad mortem dilexit eos. quia tantum dilexit ut moreretur propter eos; hoc enim testatus est dicens; maiorem hanc caritatem nemo habet. quam ut animam suam ponat pro amicis suis; ita sane non prohibemus intelligi in finem dilexit. id est usque ad mortem illum dilectione ipsa perduxit. Et cena inquit facta cum diabolus iam misisset in corde ut traderet eum iudas simonis scariotis. sciens quia omnia dedit ei pater in manus & quia ad deum exiit. & ad deum uadit. Surgit a cena & ponit uestimenta sua; & cum accepisset linteam. praecinxit se; deinde mittit aquam in peluem. & coepit lauare pedes discipulorum & tergere linteo quo erat praecinctus. Non ita debemus intelligere cenam factam. ueluti iam consumptam atque transactam; adhuc enim cenabatur cum dominus surrexit. & pedes lauit discipulis suis; nam postea recubuit & buccellam suo traditori postea dedit. utique. cena nondum finita. hoc est dum adhuc panis esset & immensa; cena ergo facta dictum est. iam parata. & ad conuiuantium mensam usumque perducta; quod autem ait. cum diabolus iam misisset in corde ut traderet eum iudas simonis scariotis. si quaeris quid missum sit in corde iudae. hoc utique. ut traderet eum; missio ista spiritalis suggestio est. non fit per aurem sed per cogitationem. ac per hoc non corporaliter. sed spiritaliter; neque enim spiritale quod dicitur. semper in laude accipiendum est. Nouit apostolus quaedam spiritalia nequitiae in caelestibus. aduersus quae nobis conluctationem esse testatur. non autem essent & iam maligna spiritalia. si non essent & iam maligni spiritus; ab spiritu enim spiritalia nominantur; sed quomodo ista fiant. ut diabolicae suggestiones inmittantur & humanis cogitationibus misceantur. ut eas tamquam suas deputet homo. unde scit homo; nec dubitandum est & iam bonas suggestiones ab bono spiritu ita latenter ac spiritaliter fieri; sed inter est quibusnam earum mens humana consentiat diuino auxilio uel deserta per meritum. uel adiuta per gratiam; factum ergo iam fuerat in corde iudae per in-

missionem diabolicam. ut traderet & discipulus magistrum; sed quem non
 didicerat dñm. iam talis uenerat ad conuiuium explorator pastoris. insidi-
 ator saluatoris. uenditor redemptoris. iam talis uenerat & uidebatur &
 tolerabatur & se ignorari arbitrabatur. quia in eo quem uolebat fallere
 fallebatur; At ille isto in ipso corde intus inspecto nesciente scienter
 utebatur. Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. Ergo & ipsum tra-
 ditorem; Nam si eum in manibus non haberet & non utiq. illo uteretur ut
 uellet; pro inde iam traditor. iam traditus erat ei quem tradere cupie-
 bat. atq. ita malum tradendo faciebat ut de illo tradito bonum fieret quod
 nesciebat. Sciebat enim dñs quid faceret pro amicis. qui patienter uteba-
 tur inimicis. Ac sic omnia dederat pater in manus eius. & in usum mala
 & in effectum bona. Sciens & iam quia ad dñm exiit & ad dñm uadit. nec dñm
 cum inde exiret. nec nos deserens cum rediret. Haec ergo sciens surgit
 a cena & ponit uestimenta sua; & cum accepisset linteum. praecinxit se; de-
 inde mittit aquam in peluem & coepit lauare pedes discipulorum & ex-
 tergebat linteis quo erat praecinctus. Debemus dilectissimi sensum
 euangelistae diligenter attendere; loquiturus quippe de tantam
 humilitate. prius eius celsitudinem uoluit commendare; ad hoc pertinet
 quod ait. Sciens quia omnia dedit ei pater in manus & quia ad dñm exiit &
 ad dñm uadit. Cum ergo illi pater omnia dedisset in manus ille discipulo-
 rum non manus sed pedes lauit; & cum se sciret ad dñm exiisse & ad dñm perge-
 re. non dñi. sed hominis serui impleuit officium; Ad hoc autem perti-
 net quod & iam de traditore ipsius qui iam talis uenerat qui nec ab illo ig-
 norabatur. prae loqui uoluit. ut hoc quoq. ad maximum cumulum humili-
 tatis accederet. quod & iam illi non dedignatus est pedes lauare. cuius ma-
 nus iam prae uidebat in scelestis. Quid autem mirum si surrexit a cena &
 posuit uestimenta sua. qui cum in forma dñi esset & semetipsum exinaniuit;
 & quid mirum si praecinxit se linteis. qui formam serui accipiens habitu
 est inuentus ut homo? Quid mirum si misit aquam in peluem unde laua-
 ret pedes discipulorum. qui in terram sanguinem fudit quo in munda-
 am diluit & peccatorum. Quid mirum si linteis quo erat praecinctus pe-
 des quos lauerat ter sit. qui carne qua erat indutus euangelistarum uesti-
 tia confirmauit. & linteis quidem ut se praecingeret & posuit uestimen-
 ta quae habebat. ut autem formam serui acciperet & quando semetipsum
 exinaniuit. non quod habebat deposuit. sed quod non habebat accepit;
 Crucifigendus sane suis expoliatus est uestimentis. & mortuus in uolu-
 tus est linteis & tota illa eius passio nostra purgatio est; passurus igitur

extima praemisit obsequia . non solum eis pro quibus erat subiturus mor-
tem (sed & iam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem ; tanta est quip-
pe humanae humilitatis utilitas . ut eam suo commendat & exemplo & iam
diuina sublimitas . quia homo superbus in aeternum periret nisi eum de hu-
milis inueniret . Uenit enim filius hominis quaerere & saluum facere quod
perierat ; perierat autem per superbiam deceptoris ; sequutus ergo humili-
tatem redemptoris . sequatur inuentus . **EXPLICIT SERMO LV.**

**INCIPIT LVI. AB EO QUOD AIIT . UENIT ERGO AD SIMONEM
PETRUM ET DICIT EI PETRUS DNE TU MIHI LAUAS PEDES
USQUE AD IDUBI DICIT . QUI LOTUS EST NON INDICET
UT LAUET SE DESTE MUNDUS TOTUS .**

Cum lauar & dñs pedes discipulorum . uenit ad simonem p̄rum . &
dicit ei p̄rus . Dñe tu mihi lauas pedes . quis enim non expaues-
ceret & lauari sibi pedes a dñi filio . quamuis itaq . magnae fuisset auda-
ciae contradicere seruum dño . hominem dño . tamen hoc p̄rus facere
maluit . quam per p̄ri ut sibi pedes lauari entur ad dño & dño ; nec putare de-
bemus hoc p̄rum inter ceteros formidasse atq . recusasse . cum id alii ante
ipsum libenter uel aequanimiter sibi fieri permisissent ; facilius quippe
sic accipiuntur ista uerba euangelii . quia cum dictum esset . coepit lauare
pedes discipulorum & extergere linteo quo erat praecinctus . Deinde
subiunctum est . Uenit ergo ad simonem p̄rum . quasi aliquibus iam
lauisset & post eos uenisset ad primum ; quis enim nesciat primum a pos-
tolorum esse beatissimum p̄rum . sed non ita intelligendum est qd
post aliquos ad illum uenerit . sed quod ab illo coepit . quando ergo
pedes discipulorum lauare coepit . uenit ad eum a quo coepit . id est ad
p̄rum . & tunc p̄rus quod & iam quilibet eorum expauescit . expaue-
atq . ait . Dñe tu mihi lauas pedes . quid est tu . quid est mihi . cogitan-
da sunt potius quam dicenda . nescit enim quod ex his uerbis aliquatenus
dignum concipit anima . non explicat lingua ; sed respondit ih̄s & dixit
ei ; quod ego facio . tu nescis modo . scies autem postea ; nec tamen ille domi-
nicifacit altitudine exterritus . permittit fieri quod cur fieri ignora-
bat . sed usq . ad suos pedes humilem xpm̄ adhuc non uult uidere . non
potest sustinere . Non lauabis mihi inquit pedes in aeternum ; quid est
in aeternum . Numquam hoc feram . Numquam patiar . Numquam sinā ;
hoc quippe in aeternum non fit . quod numquam fit . Tum saluator
aegrum reluctantem de ipsius salutis periculo exterrens . Si non laue-
rote inquit . non habebis partem mecum ; ita dictum est . Si non lauerote .